



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Traduntur modi benè operandi, ad renouandam animæ nostræ imaginem,  
& Deo similem reddendam per hanc Octiduanam Recollectionem. Cap. VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

melioribus, vel magis spiritualibus, & regulas melius seruantibus) interdum iis prioribus (qui scilicet non perseuerant in Religione, & ad peccata priora redeunt, de quibus paulò ante locutus fuerat) deteriores sunt &c. Nempè ignauia torpore compressi, & charitate frigidi, & in spirituali praelio sunt infirmi. Nullo virtutis aduersariis (à quibus impediuntur in sanctitatis studiis & religiosa disciplina exactè seruandà) repugnant zelo, quoniam nec gehenne metum, neque aeterna vita degustant pramium, solà ducuntur consuetudine, & plerumque necessitate, (ne puniantur à Superioribus) atque sui rubore compulsi tam illa que ad Diuinum cultum pertinent, quam illa que vtilitatibus inferunt proximorum, remisso peragunt corde. Detestandum (nota Sancti iudicium de talibus) prorsus est hoc hominum genus, qui sanctitatis præferentes imaginem (ratione status sancti, quem elegerunt) nec Deo militant, (quia sanctè & iuxta sui Regulas Ordinis non viuunt) nec mundi blandimenta perquirunt: spiritualis pugna ingressi sunt stadium, Christiana milita gestant insignia corpore, currunt cum cæteris, cum reuera strenuis bellatoribus sint longè dissimiles: (iis qui se vincunt & regulas seruunt) securitate (quâ sibi non faciunt scrupulos, etsi irreligious conuerterentur) torpescunt, suiq; custodiam deserunt, arbitantes pacem, vbi non est pax.

l. 1. vit. c. 16.

Quomodo autem tepidi & mali Religiosi ad hunc pessimum statum deuoluantur, docuit S. Franciscam Romanam S. Ioannes Baptista in quadam extasi: Quando in animâ cessat sollicitudo dandi gustum Domino suo, paulatim refrigescit & deficit in illâ primus seruos, & cum sit negligens in operibus piis, tandem cadit in ariditatem & duritiam grandem. Vt scribit S. Ilidorus Pelusiota, Mortalium plerique acerrimâ rerum terrenarum cupiditate incitantur, honestatem autem ac virtutem minimè curant, quia partim ea que specie tenus sunt, magis, quam ea que sunt, aucupantur: partim id quod statim vile est, eò quod aliquantò postea vtilitatem allaturum est, prius atque antiquius habent, partim rerum iudicium corruptum habent. At virtute præditi, tum ipsam per se virtutem colunt, tum futuras coronas animo & cogitatione complectentes, eam consecratur.

Exam. c. 1. §. 2. Reg. 2. Summar.

XV. Motiuum est proprium pro nobis, Finis propter quem Societatem ingressi sumus. Cùm enim finis Societatis sit, salutis & perfectioni propriarum animarum cum Diuinâ gratiâ vacare, & cum eadem impense (Hispanicè est, intensamente) in salutem & perfectionem proximorum incumbere, clarum est, omnes nos debere acquirendæ perfectioni toto conatu nostro vacare, vt nostrum finem consequamur. Nam si miserum est, vt ait Ioannes Abbas apud Cassianum, cuiuslibet artis & studij disciplinam quempiam profiteri, & ad perfectionem eius minimè peruenire, multò magis miserum est, si nos ad perfectionem non perueniamus, qui habemus peculiari modo nostra vocationis finem propositum, ipsam perfectionem: hoc est, omnium virtutum collectionem, vt Deus Pater dixit S. Catharinæ Sc-

Coll. 19. c. 5. s. u.

dial. c. 9.

nenfi, & Sancti docent, inter quos sic scribit S. Bernardus: Ipsa est perfectio & vera hominis sapientia omnes in se amplectens & continens virtutes, non aliunde collectas, sed naturaliter (id est per modum naturæ, firmiter, constanter) insitas sibi, ad similitudinem illam Dei, quæ est ipse quicquid est. Cùm sicut Deus est, id quod est, sic circa bonum virtutis, habitus bona voluntatis, in bonam mentem sic consolidatus, & affectus est, vt ex ardentissimâ boni incommutabili adhesionem, nullatenus videatur iam posse mutari ab eo quod est.

Talis autem perfectio ipsius perfectionis assequendæ, cùm summa sit & planè Diuina, omnino conatu procuranda est, & quidem ita, ne quicquam desit ad illam complendam perfectionem requisitum. Nam S. P. N. Ignatius non sanctitatem voluit finem esse Societatis, sed perfectionem, quæ plura exigit à nobis quam sanctitas. Perfectum enim, vt SS. PP. & Philosophi morales ac Theologi docent, est id cui nihil deest. Et S. Chrysostomus ponderans illa verba Genes. 6. 9. Noè vir iustus atque perfectus, Omnia, inquit, impleuit, quæcumque facere conuenit eum, qui virtutem amplectatur. Hic enim est perfectus. Nihil enim intermisit, in nullo claudicauit. Non in hoc bene faciebat, in illo verò peccabat, sed in omni virtute perfectus erat, quâ tunc pollere illum congruebat. Sic S. Iacobus ait: Sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. At verò sanctitas potest reperiri in aliquibus, cum defectibus rerum aliquarum, quæ in viris perfectis non desunt, nec deesse solent: vt apparet ex historiis Ecclesiasticis, in quibus narrantur vitæ aliquorum Sanctorum, qui defectibus nonnullis laborarunt, vel ira, vel nimia lætitia, inordinatæ tristitia, vel nimij zeli & rigoris in puniendis delinquentibus, vel tenacitatis iudicij proprii, seu pertinaciæ in apprehensionibus quibusdam specie boni palliatis, qui defectus, & alij, longè abesse debent ab iis, qui volunt esse perfecti, & non fuerint in viris perfectis: quales fuerunt S. Dominicus, S. Franciscus, S. Ignatius, S. Xaverius, S. Teresa, & multi alij virtutisque sexus. Talis ergo perfectionis ardens desiderium & studium comparandum est in Octiduanâ Collectione, & in quotidianis meditationibus.

Cl. Alex. lib. 1. præd. cap. 6. Amb. l. 2. de lac. c. 5. Arist. l. 1. metaph. c. 16. & l. 3. phys. text. 63. Th. 1. p. q. 94. a. 1. & 2. 1. q. 184. a. 2. Ch. h. a. 1. in Gencl.

Iac. 1. 4.

CAPVT SEPTIMUM.

Traduntur modi benè operandi ad renouandam anima nostra imaginem, & Deo similem reddendam, per hanc Octiduanam Recollectionem.

Quo autem modo facienda sint bona, quæ ad complementum iustitiæ, & ad perfectionem assequendam facienda sint cuius, non tantum Religioso, sed etiam sæculari perfectionis studio, sic faciendum existimo:

I. No

I. Ne vilo peccato vitentur, quo perdant vel minuant meritum, quod inest cuius operi bonorité facto, ab homine iusto in Dei gratiâ existente.

II. Ut quoduis particulare opus fiat ob finem aliquem supernaturalem; actuali vel explicitâ intentione oblatum, vel factum, quem operandi modum qui improbat, directè improbat Regulam 17. Summarij à S.P.N. Ignatio nobis præscriptam, & illius Axioma, volentis à nobis, in omnibus quæri, non qualemcunque, sed *Maiorem Dei gloriam*, quæ non quæritur ab eo, qui sine actuali & explicitâ intentione supernaturali, operatur bona. Nec est quod quis timeat læsionem capitis in tali operandi modo, quia experientia sic operantium, ostendit contrarium. Et ego nullum sic operantem noui factum stultum. Nec Nouitij læsionis capitis periculum sic operando subibunt, si discrete docebuntur sua Deo opera offerre, non statim omnia, sed prius vnum, postea aliud, & ita progrediendo ad reliqua more Scholarium, qui prius discunt A.B.C. postea componere syllabas, tandem legere, & tunc demum ad vteriora pergere Grammaticæ rudimenta, & tandem ad altiores disciplinas gradum facere.

III. Totum tempus præscriptum operi, illud non decurtando impendatur.

IV. Iis temporibus & modis quodlibet opus fiat, qui præscripti sunt vel à Regulâ vel ab Ordinatione aliqua, vel à Superioris vel Patris Spiritualis viva voce, vel à recepta & approbata à Maioribus illius loci Consuetudine, & in his 4. conditionibus situm est illud, quod nobis commendatur in Regulâ primâ Communium de faciendis rebus, cum omni diligentia in Domino.

V. Qui more Sanctorum eximiorum vult operari, præter supradicta, conetur singula opera facere feruenter, seu ardentè, quo operandi modo multum acquiritur. Quia, vt docet S. Chrysostomus, *Quando videt gratia Spiritus S. feruens desiderium & vigilem mentem, tunc & gratiam suam opulentiam liberalius largitur*: tum ad currendum in viâ Dei velocius, tum ad apprehendenda caelestia munera copiosius.

Qui currunt: interrogat S. Bernardus, & respondet: *Spiritu feruentes anime. Quæ amat ardentius, currit velocius, & citius peruenit, perueniens, non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur: sine morâ aperitur ei tanquam domestica, tanquam charissima, tanquam specialiter dilecta & singulariter grata.*

Si quæras, quid sit feruor iste in operando Sanctis familiaris?

Respondeo, Esse similem modum operandi bona, concionatori, vel disputanti vel loquenti feruenter, nimirum cum quadam accensione animi, & quasi bona quadam irâ, quæ non est in iis, qui phlegmaticè, vel frigide, vel tepide dis-

putant, concionantur, aut loquuntur. Vt autem distinctius rem aperiam, Quatuor res in feruore operandi esse solent:

*Primò*, Ex parte animi operantis. Qui enim feruenter aliquid boni facit, habet ignitum quoddam (vt solet loqui B. Laurentius Iustianus) desiderium id faciendi quod facit, & vt potest loquitur S. Chrysostomus, de effectu quem Sanctissima Eucharistia causat in nobis, *tanquam leo ignem spirans, facit quod facit.* Idè vbi talis est animus est etiam ardens desiderium operandi illud, quod vult operari: summa promptitudo omnem remoram & difficultatem à se arcens, & ita pio quodam impetu impellens hominem ad operandum: sicut magnus lapis manu humanâ protensa sustentatus, eam etiam inuitam impellit, vt deorsum tendat, & dimittat lapidem ad suum centrum veluti properantem, & cogentem manum ad se demittendum. Tales timeat diabolus. Nam, vt scribitur in Vitis Patrû, *L. 3. c. 39. Abbas Pimenius dixit: sicut ad succensam ollam musca non appropinquat, si verò tepida fuerit, insidant in eam, & faciunt vermes, ita & Monachum succensum igne diuini Spiritus, demones fugiunt, tepidum verò illudum & insequuntur.*

*Secundò*, Ex parte obiecti. Qui feruens est, aggreditur generosè & ignè res difficiles, amori propriò molestas, & inter duas perfectas, illam potiùs eligit quæ perfectior est, & inter æquè perfectas illam, quæ est Christo Domino afflicto, humiliato, & crucifixo magis conformis, iuxta secundum modum seu gradum humilitatis à S.P.N. Ignatio præscriptum in secunda Hebdomadâ Exercitiorum. Idè S. Chrysostomus, feruorem exigebat ad superanda difficilia & aduersa. *Magnum quoddam est charissimi, generosus & ingens animus, & propterea promptitudine nobis opus est, ardore multo, animo ad mortem exposito, alioqui non licet, nisi cruci confixum, Regnum assequi, ne nosmetipsos fallamus.*

*Tertiò*, Ex parte continuationis. Qui feruens est in benè operando, non fatigatur, non retrocedit, sed quò plura operatur & patitur (nam pati, est quoddam operari, quia patientia habet suos actus heroicos) eò plura desiderat facere & pati: Nunquam dicit Sufficit; nunquam cessat, sed more ebrii, quò plus bibit, vt ait S. Chrysostomus, plus sitit. Et hæc est illa perfectio operandi, seu, vt eam vocant Theologi, beatitudo, expressa à Christo Domino per *esuriam & sitim iustitia.* Hoc est signum fidelis Dei ferui. *Quis est fidelis & prudens Monachus? Quærit S. Climacus, & Respondet: Qui feruorem suum seruauit inextinguibilem, & indies vsque ad finem vitæ suæ ignem igni adiacere, feruorem feruori, desiderium desiderio, & studium studio nunquam desit. Quomodo ignis, inquit Theodoretus, quò plus accipit nutrimenti, eò maiorem accipit remunerationem, eâ enim accensione materia augetur, non obtunditur: ita in Deum dilectio accenditur diuinatum rerum contemplatione, & operationem*

tionem hinc suscipit maiorem & vehementiorem: & quod magis in rebus Diuinis versatus quis fuerit, eò magis accendit flammam dilectionis; quæ est feruoris essentia, Duplex est enim feruor, vt scribit P. Ludouicus de Ponte describens sanctum feruorem P. Francisci Ribera in vitâ P. Balthasaris Aluarez: *Alter est iuuenum tyronum, qui ollarum instar ad magnum ignem appositurum, vehementer feruent, & quod intus habent, strepitu quodam exterius effundunt. Alter est feruor grauis, (hominum perfectorum) substantialis plane & pacatus, instar alicuius olla ad moderatum ignem feruentis, meliusque coquentis quod continet, qui feruor etiã est diuturnior.*

Quartò, Ex parte subiecti operantis, solent enim feruentes cum tantâ applicatione animi operari, vt vtendo membris corporis, tanquam instrumentis animi, & naturalibus passionibus tanquam ministris, etiam in corpore sentiant alterationem & ardorem animi redundantem in corpus. Excellebat hac in re S. P. N. Ignatius, qui, vt scribit Ribadeneyra oculus testis, & P. Ludouicus Gonzalez, *Quotiescumque orare inciperet, id statim apparebat in eius vultu (qui aliàs fuit subniger & fulcus, seu semiflaues) rubebat, & quodammodo ignescebat, etiam dum mensa benediceret, vel postea gratias ageret.*

Et quidem tres primæ conditiones feruoris, corpori non possunt nocere ex se, sed quarta nocere solet, præsertim in Tyronibus, si indifferetè, non ex Dei impulsu, sed proprio conatu, vel ex superbiæ instinctu, vel ex tentatione dæmonis, quasi cogunt naturam suam, seu caput & pectus, ad ardorem quendam sensibilem corporis sentiendum. Ideò id cauendum est, & nullo modo cogendum corpus ad talem feruorem siue in oratione, siue aliàs. Est enim illusio magna id conari, & quasi violentè velle exprimere in se, eo modo quo quis ex re sicca vellet torculari violentè liquorem educere & exprimere. Quando Deus feruorem talem alicui dat, tunc homo planè in initio huius feruoris habet se merè passiuè, hoc est, sentire in se illum incipit quasi ab extra immissum sibi nil minùs conanti, nec cogitanti: postquam autem immisus est, tunc iam liberè illum retinet, & eo inflammatus, opus bonum continuat, vel nouum aggreditur. Ne autem noceat corpori, si diu duret, vel magis ac magis intendatur, temperandus est & frænandus omnino (iuxta directionem P. Spirituales, si tyro sis) iuxta illud Spiritus S. monitum, quod etiam hic locum habet: *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas illud.*

Hoc docuit S. Xauerius exemplo suo, qui dicebat Domino: *Domine satis est, satis est: quod & de S. Ephrè scribitur in eius vitâ, & de aliis Dei feruis. V. rum tamen est (quod tamen sine periculo superbiæ præsumptionis desiderandum tibi non est) Deum aliquibus magnis amicis suis, tam copiosum infundere siue in operando, siue*

in orando feruorem, vt verè, etsi conentur, non possint ei resistere, eumque minuere, sed planè cogantur succumbere, & languere, & morbum inde contrahere.

Hac ratione S. P. N. Ignatius, teste Ribadeneyra, ad vitæ extremum adductus est ob hunc feruorem, eò quòd die quodam Natiuitatis Domini, duo sacra continenter fecisset: Ideò, vt scribit P. Ludouicus Gonzalez seu Confaluaus, in Diar. S. P. Ignatius, *quo die non bene valeret, hoc est, non se sentiret robustum, non dicebat Missam, quia eam dicendo, inciðebat in morbum, seu magnam corporis debilitatem. Imò sæpe notatum est, eum etsi valido & robusto corpore ad Missam legendam accessisset, solum in eò ob feruorem incidere in morbum. Atque hanc ob causam sæpe eam intermittebat ipse, sed & eam audiens, hoc ipsum virium detrimentum patiebatur: & quodammodò luctando cum Deo per ardorem deuotionis & amoris, vt alter Iacob cum Angelo in Genesi, claudus remanebat, sancto corpore vehementer debilitato & languente. Et de tali feruore loquitur S. Thomas, cum eum describens ait: *Astus feruoris, ex sui vehementia redundat vsque ad permutacionem inferioris partitis, & quoad exteriora quodammodo ebulliendo refunditur, & procedit ex abundantia calor.**

Etiã enim amor ex se, quoad formale, scilicet ex parte appetitus, passio læsiua non sit, tamen, vt docet S. Thomas, quantum ad id quod est materiale in passione amoris, quæ est immutatio aliqua corporalis, accidit quòd amor sit læsiuus, propter excessum immutacionis, sicut accidit in sensu & in omni actu virtutis anime, quæ exercetur per aliquam immutacionem organi corporalis. Et ita S. Teresa scribit, quasdam personas esse mortuas ex intento feruore amoris & desiderij Dei. Et sic ipsam quoque S. Teresiam esse extinctam, scribitur in eius vitâ à nostro P. Francisco Ribera: & postea scriptum extat in Relatione pro eâ Canonizandâ Summo Pontifici data, & in officio Diuino à Sede Apostolicâ approbato. Sic extinctas alias dicitur lib. 2. Reuel. S. Brigittæ cap. 11. & Beatissimam Genitricem Mariam sic esse vi amoris, non morbi mortuam, scribit Suarez, & innuit S. Ioannes Damascenus & Nicephorus in suâ historiâ. Quod etiam de nostro B. Stanilao Kostka medici testati sunt eo mortuo, eò quòd leuis febricula tertiana, vix bis vel ter eum aggressa, nullâ ratione ei naturaliter robusto, mortis effectus potuerit. Admiranda hæc sunt, non desideranda, præsertim cum talia desiderantibus non dentur à Deo, sed præ humilitate similia fugientibus Deus soleat largiri similes mentis Deo ardentis excessus.

Verumtamen post longi temporis feruorem, solet Deus largiri, prorsus non minùs intensos animi actus, & affectus pios, sine læsiua corporis inflammatione & alteratione, quàm fuerint illi, qui antea corpus vehementer inflammabant & debilitabant, & præ amore ardentissimo

cap. 31.

1. c. 1. vit.  
Diar. p.  
63.Pro. 25.  
16.Vit. l. 6.  
cap. 5.74.  
1. c. 1.75.  
6. 31. 31.9. 6. de  
verit. 2. 7.

ad 7. Eri.

4. d. 16. q.

3. a. 1. ad 1.

Et lect. 1.

in c. 11. ep.

ad Rom.

lit. F.

1. 1. q. 18.

2. 3.

cap. 6.

Rit. l. 4.

cap. 4.

10. 2. in 3.

1. c. 21.

1. 1. Dam.

or. 1. de

dorm.

Virg. Nic.

1. 1. c. 35.

collato

cum l. 1.

cap. 44.

lan-

langere faciebant: & talem statum S.P.N. Ignarius aliquot annis ante mortem assecutus est, & appellabat *deuotionem Angelicam*: eò quòd sicur Angeli deuotissimè & feruentissimè orant, sine alteratione corporis quo carent, ita illi ferui Dei, ad hunc statum euecti, orant & operantur & amant Deum, feruentissimè sine corporis alteratione & inflammatione læsiuâ. Et talem deuotionem Deus Pater dixit S. Catharinæ Senensi esse sextum genus *lachrymarum ignitarum*, quæ à vitis valde perfectis funduntur sine lachrymis oculorum.

## CAPVT OCTAVVM.

*Indicantur precipui defectus sœdantes imaginem animæ nostræ, ut per hanc octiduanam Recollectionem eorum extirpatione deinceps curetur.*

77. **C**um supradictum sit, in renouatione animæ nostræ, illam inchoandam esse ab ablutione & abrasione macularum, quibus ante hanc Collectionem obscurata & denigrata fuit; hæc ablutio post confessionem (eo modo factam, quo illam faceres, si iam iam mori deberes) tam perfecta esse debet, ne vnquam deinceps labaris, tum in illa peccata quæ in te agnosces esse cæteris maiora, tum in ea quæ tu fortè hæcenus non agnouisti esse tam grauiora, & tam periculosa ac disponentia ad perdendam faciliè & citò gratiam Dei: uti sunt iudicio Dei & Sanctorum magnorum. Nullus enim nouum hominem, inquit B. Laurentius Iustinianus, qui secundum Deum creatus est, induere valet, nisi prius cum actibus suis expolauerit veterem.

Quod tantò magis procurandum est, quia, ut ait S. Gregorius Nyllenus, Deus qui te formauit, tale bonum, statim ita natura quasi inessentiauit, siue consubstantiauit, & incorporauit. tui enim fabricationi & constitutioni Deus suæ nature bonorum similitudine, & quasi imitamenta impressit & informauit, veluti ceram quandam sculpsit figurâ preformans & fingens. Sed vitiositas Diuinam imaginem referenti signo circumfusam, bonum turpibus velamentis obductum & occultatum, inuisibile tibi fecit. Si igitur diligentiè & accuratè vitâ sordes cordis illitas & obductas, rursus ablueris, resplendet in te Diuina pulchritudo. Quemadmodum in ferro fieri solet, cum id, quod paulò ante nigrum erat, per cotem detractâ rubigine, splendores quosdam in se ad solem resurgens, & nitores edit; ita homo quoque internum, quem, cor, Dominus nominat, cum sordes rubiginosas absterferit, rursus cum originali & principali formâ, similitudinem recuperabit, ac bonus erit, nam quod boni simile, bonum prorsus est.

Nunc ergo sordes has rubiginosas peccatorum abstergendas vel abradendas in hac Octiduanâ Collectione enumerabo aliquas frequen-

tiores, tum internas, tum externas, deinceps summo conatu vitandas. Non agam hic de sordibus peccatorum mortalium, quia pro his personis hoc Opusculum scribo, qui Dei beneficio viuunt sine peccatis mortalibus, & ab iis magis quàm à diabolo abhorrent, sed de solis venialibus sordibus agam, sine quibus in hac vitâ, excepto solo Christo Domino & Beatissimâ Virgine Maria, nullus Sanctorum vixit & viuuit. Nam, ut benè scripsit S. Gregorius Papa, *Sancti viui, licet iam magnâ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, veluti quasdam noctis reliquias nolentes trahunt.* Et, ut ait S. Ioannes Apostolus, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* in Psal. 2.

Quo loco de solis peccatis venialibus esse sermonem, benè docet S. Augustinus, & S. Thomas, & alij. Hinc nulla vnquam Congregatio, licet sanctissima, fuit in Ecclesiâ Dei, nec esse potest (seclusis extraordinariis Dei priuilegiis, quæ nulli concessa esse scimus) in quâ non fuerint multi imperfecti, tepidi, peccatis venialibus, etiam grauioribus, aliqui obnoxij: quæ Sancti magni, etiam in suis domesticis reprehendebant, & puniebant, uti apparet ex sermonibus & epistolis impressis ac vitis magnorum San-

ctorum Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, Bonauenturæ, Petri Damiani, Laurentij Iustiniani, ut nihil dicam de antiquioribus, Basilio, Climaco, Dorotheo & alijs. Quocirca & Concilium Mileuitanum & Arausicanum & Tridentinum, contra Pelagij hæresim contrarium docentis, sanxerunt, verba illa Orationis Dominicæ: *Dimittite nobis debita nostra*, quæ quotidie dicimus, etiam à Sanctis viuentibus, non tantum ex humilitate, sed ex veritate dici, tanquam ab iis, qui peccatis venialibus sunt obnoxij. Quia, ut benè ait S. Isidorus Hispalensis, *Quamuis in hoc saculo magnâ iniustitia quisque claritate resplendeat, nunquam tamen ad purum peccatorum sordibus caret, scilicet venialium.* Et quemadmodum mali, ut inquit S. Chrysostomus, facinorosè peccant. Et non solum populus Christianus, dicit S. Cælius Arelatensis, sed etiam nullus Sanctorum à peccatis venialibus immunis esse potuit aliquando aut poterit. Quamuis verum sit viros valde perfectos rarò peccare, nunquam deliberatè, nunquam grauius, & à certis venialibus peccatis, quæ valde dedecent viros sanctos, perpetuè per Dei gratiam abstinere. Sed quia, ut ait apud Cassianum Abbas Pinuphius, in omnibus Congregationibus, examinata visa atque ad purum excogitata, reperitur in paucis: Et quia, ut Deus Pater dixit Sanctæ Catharinæ Senensi, quàm plurimi qui in Religionis nauiculâ pascuntur, sunt cum defectibus multis, & plurimi sunt in Ordine viuentes, communiter, qui neque perfecti sunt vti esse debeant, neque mali, quia preseruant animam à peccato mortali; ideo ad hos iuuandos agam, contra aliqua

in Psal. 2.  
1. 10a. 1. 8.  
Aug. 1. 3.  
cont. 2.  
ep. Pelag.  
c. 3. & 11.  
de nat. & gr. c. 36.  
Th. 3. p. 9.  
79. a. 4. ad 2.

citati hi  
Pères su-  
prâ n. 70.

Trid. ses.  
6. c. 11.

cap. 18.

conc. 3. de  
Lazaro.

h. 8.

1. 4. Instit.  
cap. 40.

c. 162. dia-  
log.